

II i  
2015

PROLVVSIO  
 DE  
 PERSECVTIONE NERONIANA  
 QVA AD AVDIENDAS  
 ORATIVNCVLAS III  
 IN  
 SCHOLA NOVAE VRBIS  
 AD DRESDAM  
 A. D. VI. ID. IVN. HOR. II.  
 HABENDAS  
 PATRONOS ET FAVTORES  
 HVMANISSIME INVITAT  
 M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIVS  
 RECTOR.



FRIDERICOSTADII  
 EX TYPOGRAPHEO HAGENMVLLERI.

BIBLIOTHECA  
 PRONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
 HALLE  
 (SAALE)




THE UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
LIBRARY

AD LIBRUM  
D. J. H. H. H. H.

THE UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
LIBRARY

AD LIBRUM  
D. J. H. H. H. H.





**V**ix Christus sublimis in coelum abierat, cum calamitatibus undique ingredientibus primi nominis Christiani professores vexarentur, eaque tempora ac fata appropinquarent, quae optimus Salvator, paulo ante discessum ex hac vita discipulis suis, eorumque successoribus, virtute divina praedixerat. <sup>(1)</sup>

Quemadmodum autem Judaei, in persequendo Christo, principes atque auctores fuerant; ita etiam primi exstiterunt, qui fidei suae professores omni calamitatum genere afficerent. In causis autem investigandis, quibus Judaei commoti, primos ad christianam religionem conversos, vexarunt, tria inprimis reperimus argumenta; quorum primum & praecipuum mihi fuisse videtur, praepudicata, de Servatoris statu, sententia, & odium propter vitia a Christo detecta, quae plerumque & nostris adhuc temporibus invidiam pariunt. Accedit nimia Judaeorum reverentia in leges, ad ritus spectantes, quas ad finem mundi duraturas, falso putabant. Tandem etiam invidia, &

A ij

odijum

(1) Joh. XVI. com. 1. ff.

odium in gentiles, quos videbant, a superstitione gentili ad cognitionem veri DEI adductos; quod in gentiles odium, animis Judaeorum ita infixum haesit, ut non solum eos occupatos teneret, qui ad finem vitae in religione Judaica permanerent, sed etiam hos obfessit, qui sacro fonte abluti, nomen suum Christo dedissent. Quare doctores ecclesiae primae nihil vere prius antiquiusve sibi habendum esse putarunt, quam ut Judaeos, DEI gratia Christianorum sacris initiatos, ab gravissimo hoc errore liberarent. Tantum autem erat ipsorum quod in Christianos susceperant odium, ut non arctis Palaestinae limitibus se circumscribi coercerique pateretur, sed longe extra ejus fines etiam vim potentiamque suam extenderet. Intra Judaeam, quantum quidem scimus, Stephanus primus fuit, quem Judaeorum rabies invasit, martyriique corona donavit. <sup>(1)</sup> Inprimis testatur de eorum studio, Christianos omnibus in locis persequendi, epistola, quam Hierosolymis viventes, ad Judaeos Ulmeneses scripsisse perhibentur: cuius verba non abs re erit huc transferre: *Significamus vobis, impium seductorem Jesum Nazarenum, Iosephi filium sublatum e vivis esse. Quum enim non amplius blasphemias ejus ferre possimus, eum apud Praetorem Rom. accusavimus, qui nostra accusatione audita, misericordia nostri affectus, bene flagellatum, crucifigendum curavit pro meritis, ejusque discipulis ejectis & dispositis.* Valet. <sup>(2)</sup> Ex qua epistola, sicuti etiam ex JUSTINI MART. Dialogo cum Tryphone, <sup>(3)</sup> & EVSEBII Hist. Eccl. <sup>(4)</sup> satis superque patet, Judaeos undique nuncios epistolasque, calumniis in religionem Christianam refertas, misisse. Quum autem eo tempore jam sub potestate Rom. viverent, eamque ob causam jus vitae

(1) Actör. VII. com. 59.

(2) MART. CRVSI Annal. Suevicae Lib. V. cap. 2.

(3) p. 52. & 317. ed. Jebb.

(4) Lib. II. cap. 23.

& necis non amplius haberent, Christianos non nisi vel in tumultu, in quo etiam Stephanus dilapidatus esse videtur, vel permittentibus sive iubentibus Romanis vexare poterant: quam potestatem ut eo facilius a Procuratoribus impetrarent, plerumque Christianos rebellio- nis crimine petebant, eosque omnis tumultus reos faciebant, <sup>(1)</sup> quo crimine ficto Pilatum etiam expugnarunt, ut Christum cruci affigen- dum ipsis traderet. Ab his igitur corrupti & commoti sunt Romani, ut postea etiam, nominis Christiani professores eodem modo peterent, omnique suppliciorum genere afficerent. Quum autem nos in superi- ore prolusione in nos receperimus, Christianorum persecuciones, ab Imperatoribus Romanis excitatas aliquot programmatis percensere, no- strum nunc erit, nomen quod contraximus, dissolvere, initiumque a persecutione Neroniana capere. Versabitur autem opera nostra in hac prolusione in eo, ut relatis Imperatorum Rom. de religione chri- stiana sententiis, demonstremus Neronem primum fuisse inter Caesa- res, qui auctoritate publica, Christianos persequi iusserit; deinde cau- sas afferamus, quibus adducti arbitremur, eam minime inter universa- les esse referendam.

In universum tenendum est, primos Romanorum Imperatores, Christianis non admodum infensos fuisse. Sic de Julio Caesare sci- mus, eum maxima munificentiae suae documenta in eos edidisse, eamque ob causam ab iis valde esse lacrimatum. Ad Augustum au- tem, quod attinet, negari non potest, futurum fuisse, ut, probato Mecaenatis consilio, de constituenda Republica multo crudelius saevi- erit Nerone. Audiamus consilium ipsum τὸ θεῖον πάντη πάντως ἀν- τὸς τε σέβει κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τὰς ἄλλας τιμῶν ἀνάγκασε. Τὰς δὲ δὴ ξενίζοντας τε περὶ αὐτὸ, καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν

A iij

(1) JUST. MART. Apol. I. §. 11.

θεῶν ἕνεκα, ὡν καταφρονήσεις, οὐδ' ἄλλον ἀντινος προτιμήσειεν ἀλλ' ὅτι καινὰ τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντισφροντες, πολλές ἀναπειθεσιν ἀλλοτρινομεῖν καὶ τότε καὶ συνωμοσίᾳ καὶ συστάσει ἐταίριαιτε γίγνοντα, ἀπερ ἤκιστα μοναρχία συμφέροι. <sup>(1)</sup> Sed divina providentia maluit, eum e vivis tollere ante quam Christus sublimis in coelum abiret, ejusque dogmata Romae innotescerent. *Reliqui vero Caesares usque ad Neronem, si TERTULLIANO fides est habenda, <sup>(2)</sup> credidissent super Christo, si aut Caesares non fuissent saeculo necessarii, aut si Christiani potuissent esse Caesares.* Cujus rei probandae testis sane locupletissimus esse videtur Tiberius, quem dicunt, ad senatum retulisse, ut Christus Deus haberetur. Quamquam autem Senatus ejus sententiam non confirmavit: tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem, comminatus est. <sup>(3)</sup> Cui rei obflare videntur: profanorum silentium, & Senatus refragatio. Ad prius, quod attinet, ego sane non valde miror: cum paucissimi tantum exstent auctores, qui TIBERII res gestas posteritati tradiderint, factumque fortasse sit, ut hanc rem tanquam Tiberio indignam silentio pratermiserint: quam contra ea religionis nostrae scriptores, jure meritoque commemorarunt. Quod vero Senatum Sejanumque moverit, qui in omnibus tamen ferè rebus Tiberio turpiter adulati sunt, ut hac in re Caesari refragati sint, ob auctorem hujus saeculi silentium certo dici non potest. Satis nobis est, Tiberium hoc Senatui suavisse, nec non in sua, de Christo sententia permanuisse, omnibusque, Christianos esse, permisse. Tiberio successit C. Caligula, quem quidem ex JOSEPHO & PHILONE <sup>(4)</sup> scimus, Judaeos valde vexasse; at an ei etiam Christianorum nomen innotuerit, certo definiri non

(1) DIO Lib. LII.

(2) in Apolog. c. XXI.

(3) TERTULLIANVS in Apol. c. V. & EVSEBIVS in Hist. Eccl. Lib. II. cap. 2.

(4) περι πρεσβ.

non potest. Claudium, Caligulae successorem, Judaeos Roma expulisse SVETONIVS <sup>(1)</sup> docet: *Judaeos, inquit, impulsore Chresto, assidue tumultuantes, Roma expulit.* Sunt nonnulli interpretum, qui haec verba de Christo, optimo Servatore nostro, ejusque asseclis capiant: cui tamen interpretationi, & impulsoris nomen, & temporum ratio repugnat. Ad prius quidem respondent, Romanos in ea fuisse sententia, ut putarent, Christo nomen non a *Χηστος*, sed a voce *χρηστὸς* tributum fuisse: quo factum etiam est, ut non Christus, sed Chrestus appellatus sit. Quamquam autem in hoc concedendo difficiles esse nolumus, tamen nihil esse videtur, quod ad alterum responderi possit. Additum enim, *impulsore, assidue tumultuantes Roma expulit*, de praesente, scribendo certe impellente, dicitur, quod in Christum, in coelos dudum tum sublatum, non convenit. Caeterum Christianos quoque, hoc tempore, Roma esse expulsos, suadere videtur exemplum Aquilae Pontici quem scimus edicto Claudii Roma expulsus esse. <sup>(2)</sup> Quae tamen expulsio minime cruenta, non tam ob professionem religionis christianae, quam depellendae famis causa suscepta est. Claudio, vel veneno, vel boletis medicatis e vivis sublato, imperii summa ab exercitu delata est ad Neronem, quem omnium primo inter Romanorum Imperatores, nominis christiani professores vexasse, scriptores tam profani quam ecclesiastici uno ore & consentiente voce tradunt.

*Consulte, inquit TERTVLL. <sup>(3)</sup> commentarios vestros. Illic reperietis, primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romae orientem, Caesariano gladio ferocisse, sed tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi aliquid bonum grande a Nerone damnatum esse.* Quae verba commemoratu digna vi-

(<sup>1</sup>) in Claudio c. XXV.

(<sup>2</sup>) Actor. XVIII. 2.

(<sup>3</sup>) in Apol. cap. 4, p. 46. ed. Haver.

sa sunt EUSEBIO, <sup>(1)</sup> Historiae Eccles. inferere. In finitibus hominibus temere nulloque adhibito consilio trucidatis, eo tandem Nero crudelitatis processit, ut ne a proximis quidem & carissimis cruentas manus abstineret. Verum hoc unum, adhuc illi deerat, quod ceteris titulis adscriberetur, ut scilicet primus Rom. Imper. hostis christianae religionis diceretur fuisse. Sic igitur, adductis TERTULLIANI verbis, omnibus, inquit, divini Numinis hostium princeps, & antesignanus Nero, in ipsos etiam Apostolos saevit. His duobus testimoniis liceat, duo alia addere quae scitu lectuque digna sunt. Non tantum regum, inquit, SVLPITIVS SEVERVS, <sup>(2)</sup> sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus & dignus existit Nero, qui persecutiones in Christianos primus inciperet; Et paulo post: Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est. Et capite sequente refert, eum Christianos urbis incensae reos fecisse, novasque mortes excogitasse. Hoc initio in Christianos saevire coeptum est. Post etiam datis legibus, religio vetabatur: palamque edictis propositis, Christianum esse non licebat. Quo cum amice consentit OROSIVS, <sup>(3)</sup> Denique omnibus flagitiis suis hoc etiam addidit Nero, quod primus Romae Christianos suppliciiis & mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione exercitari imperavit. Ipsum quoque nomen extirpare, beatissimos Apostolos, Petrum cruci affixit, & Paulum capite gladio secuit. Neque huic sententiae adversatur LACTANTIUS, <sup>(4)</sup> si modo hujus Libri auctor est, ex quo verba, quae lubet, huc adscribere, petita sunt. Nero cum animadverteret, non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere, a cultu idolorum, & ad religionem novam, damnata vetustate, transire, ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum

coeleste

<sup>(1)</sup> Lib. II. cap. 25.

<sup>(2)</sup> in Hist. S. Lib. II. c. 28.

<sup>(3)</sup> Lib. IX.

<sup>(4)</sup> de mortibus perfec. cap. 2.



coeleste templum delendamque justitiam; & primus omnium persecutus DEI servos, Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit. Cum his domesticis testibus nostris ex asse etiam consentiunt profani auctores, quorum testimonia eo majorem merentur fidem, quo magis eos in his saltem rebus, a partium studio liberos putare debemus. SVETONIVS, quem ex actis publicis, historiam confecisse scimus, <sup>(1)</sup> a Nerone, inquit, *afflicti sunt suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae & maleficae.* Et TACITVS, Suetonio fere aequalis, <sup>(2)</sup> *abolendo rumori*, inquit, *urbis nimirum incensae, Nero subdidit reos, & quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invidiosos, vulgus Christianos appellabat, qui haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt.* Ex quibus testimoniis tam profanis, quam domesticis in summam quasi collectis efficitur, Neronem primum fuisse, qui Christianos vexarit, in eoque omnes omnino scriptores a nobis laudati consentiunt: Neque minus est obscurum, quae SVLPITII sententia est, religionem christianam, latis legibus esse vetitam: Christianosque a Nerone, non solum Romae sed in provinciis Romani Imperii etiam, vexatos petitosque esse; quae res auctoritate OROSII innixa est. Quarto denique, patet, causas hujus persecutionis fuisse neglectum Deorum, multitudinemque Christianorum, & incendium urbis Romae, Christianis a Nerone imputatum, totiusque generis humani odium. Haec a TACITO, illa a LACTANTIO adducitur causa. Sed de singulis nunc paulo fusius edisseremus. Antequam autem rem ipsam incipiamus, necesse erit, initium finemque hujus vexationis breviter indicare.

Neronem Christianos vexasse, tam certum est, ut illud, qui non omnem historiae fidem tollere elaboret, in dubium vocare non possit. Queritur tamen quo anno, haec Christianorum persecutio &

B

coe-

(1) in Nerone cap. XVI.

(2) Annal. Lib. XV. c. 44.

coepta & in finita fit? Ad hanc rem definiendam opus erit, & natales Neronis, & initium imperii, nec non annum decennalium, & incensae urbis, & mortem probe tenere. SVETONIVS tradit<sup>(1)</sup> Neronem natum esse Antii novem menses, postquam Tiberius e vita excesserit, XVIII. Kal. Januarias, h. e. die XV. Decembris. Jam constat ex eodem SVETONIO,<sup>(2)</sup> Tiberium obiisse in villa Lucullana LXXVIII. aetatis anno XXIII. imperii, XVII. Kal. Apriles, Cn. Acerronio Proculo, & C. Pontio Nigro Coff. h. e. ex nostra computandi ratione die XVI. Martii, A. C. XXXVII. Neronis igitur natales incidunt in exeuntem, post Christum natum, XXXVII. annum. Ad imperium autem accessit septendecim natus annos,<sup>(3)</sup> quos si addas ad annos, ante ejus natales praeterlapsos, efficitur numerus annorum LIV. quo anno etiam interfectus est Claudius, die nimirum XIII. Octobr. Matrem interfecit die festo Quinquatrûm Minervae,<sup>(4)</sup> quod festum die XIV. Kal. Apriles, seu XIX. Mart. A. C. LIX. celebratum est; isque dies ob mortem Neronis probe tenendus est. Decennalia Imperii Augustei anno uno dilato edidit, auctore SVETONIO,<sup>(5)</sup> nempe A. C. LXIV. in quibus urbem incendio delevit; cujus initium factum est, uti TACITVS<sup>(6)</sup> refert, XIV. Kal. sextiles seu die XIX. Jul. & sexto demum die apud Esquilias finis incendii factus est.<sup>(6)</sup> Jam ex eodem TACITO scimus, Neronem incendium Romae, falso imputasse Christianis. Nam, *quamquam porticus, inquit, sua pecunia exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum, pollicitus est Nero, multaue alia faceret, quibus Romanorum animos sedaret, tamen non ope humana, non largitionibus non deum placamentis infamiam delere poterat, nec Romanis persuadere quin justum incendium crederetur. Quare abolendo rumori subdidit reos, quos vulgus Christianos*

(1) cap. VI. in Ner.

(2) cap. LXXIII.

(3) Suet. in Ner. c. VIII

(4) Suet. in Ner. XXXIV.

(5) Annal. Lib. XV. c. 41.

(6) Annal. Lib. XV. c. 40.

appellabat. Ex quibus colligitur, Neronem ipsum Romam incendio delevisse in decennialibus, in eoque condendae urbis novae & cognomento suo appellandae gloriam quaesivisse, illudque scelus Christianis adscripsisse. Quibus confirmatur, quod in superiori prolusione adduxi, Imperatores annis, hujusmodi solemnibus destinatis, res maximi momenti decrevisse, quorum summa versabatur in novis condendis urbibus, aut novis saltem nominibus insigniendis, curamque rerum tam divinarum quam humanarum in se suscipiendo. Exinde etiam videmus origines persecutionis Neronianae ab hoc anno repetendas esse, eamque ob causam ei primum universalis requisitum denegandum non esse. Ad finem, autem quod attinet, videtur haec persecutio ante necem sibi ipsi illatam non esse composita. Omnes enim auctores communi consensu conspirant, Neronem usque ad vitae finem in omnes omnino facisse. Obiit autem, teste SVETONIO. <sup>(1)</sup> XXXII. aetatis anno, die quo quondam matrem Octaviam interemerat: qui annus fuit LXVII. post Christum natum die XIX. Martii in quo tamen auctores variant. <sup>(2)</sup> Ex quibus inter se comparatis patet, Christianos per totum sexennium vexatos petitosque esse. Caeterum tota haec computandi ratio, ultra probabilitatem non affurgit: <sup>(3)</sup> quare etiam auctorum dissensus hac in re ferendus est.

His igitur praemissis, nunc investigandum est, utrum Nero Christianos latis legibus vexaverit, an ejus jussu tantum vage afflicti sint. SYLPIIVS una cum OROSIO, quorum testimonia supra laudavimus, audacter affirmat, Neronem leges de persequendis Christianis tulisse,

B ij

edi

(<sup>1</sup>) in Ner. LVII. (<sup>2</sup>) Dodwellus in prael. Camd. p. 253. Scaliger in Emend. Temp. p. 468. ff. Pagius in Crit. Antib. p. 60.

(<sup>3</sup>) vid. Alph. de Vignoles dissertationes binae de causa & initio persecutionis Neronianae in Phil. Massoni Histoire Critique de la Republ. des lettres Tom. VIII. pag. 74. - 117. & Tom. IX. p. 172. - 186.

edictaque in provincias eam ob causam misisse. Quod si ante Trajani tempora Pliniique in Bythinia inquisitionem, latae fuissent leges, quod a Nerone factum esse perhibet Sulpitius, dubitari non potest, eas Plinio, legum Romanorum peritissimo, fuisse notas, earumque mentionem facturum fuisse Trajanum, Plinioque mandasse, ut ex iis cum Christianis ageret. Quum autem neque Plinius neque Trajanus eas laudet, maxima inde oritur probabilitas, nullas eo tempore perlatas esse. Putat quidem, B. MOSHEMIVS (\*) hanc sententiam ipsa Plinii epistola refelli. Si nulla lex, ante Trajani tempora ob Christianos lata fuisset, inquit, Plinius veritus esset, Christianos in iudicium vocare, capitisque poena afficere. Nam non quaerit, an liceat eos accusare, & damnare, sed quomodo & quibus poenis sint afficiendi, a Caesare scire cupit. Fatetur cogitationes in Christianos institutas esse, sed nunquam iis interfuisse. Ex his colligit B. MOSHEMIVS legem iam adfuisse, sed brevem & obscuram. Sed, ingenue ut fatear, ego sane nescio, quid me impediatur, quo minus nexum harum propositionum perspicere possim. Nulla enim conjectura consequi possum, quare Plinius religioni sibi duxerit, Christianos in iudicium vocare, capitisque poena afficere. Quis quaeso in cognoscendis Romanorum antiquitatibus tam parum versatus est, quin sciat, Proconsulum officium fuisse, in provinciis inter alia, & rerum sacrarum curam agere, eamque ob causam aedes sacras circumire & inspicere, eosque poenis afficere gravissimis, qui Deorum cultum negligerent. Deinde Celebr. MOSHEMIVS in ea est sententia, ut putet, Plinium fugisse, quibus suppliciiis afficiendi essent. At vix a me impetrare possum, ut credam, haec Plinio, ejusque amicis omnibus, qui eum in provinciam more Romanorum commitati erant ignota fuisse supplicia, si unquam legibus ea fuissent constituta.

(\*) in Instit. Hist. Eccl. Saec. I. p. 118.

stituta. Et si hos quoque latuissent, nulla videtur esse dubitatio, quin Trajanus, edicta a Nerone, ejusque successoribus lata, aut misisset, aut saltem eorum mentionem fecisset. Utrumque autem a Trajano omis- sum esse, satis superque probat epistola ejus ad Plinium hac de re scri- pta. Quibus rationibus ductus, & ab Sulpitii, Orosii, & Moshemii sententia recedere cogor. Depositis enim praejudicatis opinionibus, invenimus Sulpitium Severum, nec non Orosium, multa temere inter- dum affirmare, & pro certis habere, quae tamen magna adhuc proba- tione indigeant, & lubrico saepe innixa sint fundamento. Cujus rei probandae luculentissimum testimonium est alterum Orosii assertum, ubi contendit, Neronem per omnes Imperii Romani provincias, vexas- se Christianos, ipsumque nomen extirpare conatum fuisse. Hoc enim assertum, superiori sublato, fere ipsum sua sponte corrui. Etenim si Nero nullas de persecuendis Christianis tulit leges, eosque solum ob Romam incensam vexavit, per se patet, Christianos tantum Romae vi- ventes, a Nerone petitos esse. Interim Orosii sententiam confirmare videtur, inscriptio quaedam, in Hispania Pisvergae reperta, cujus ver- ba lubet huc apponere:

NERONI CLAUDIO  
CAESARI AVG.  
PONT. MAX. OB  
PROVINCIAM LA  
TRONIBVS ET HIS

QVI NOVAM GE-  
NERI HVMANO  
SVPERSTITIONEM  
INCVLCARANT  
PVRGATAM (1)

Protulit hanc inscriptionem, a nemine adhuc visam, CY- RIACVS ANCONITANVS, vir, omnium consensu, fallax, & si quis alius, malae fidei. Nam ipsi Hispani de ejus auctori- tate dubitant. (2) Caeterum negari non potest, hanc inscriptio- nem a multis & auctoritate & doctrina conspicuis viris esse defen- sam:

B iij

(1) Scalig. ord. temp. Lib. V. p. 741. Gruteri Inscript. Tom. I. p. 238. n. 9.

(2) Jean Ferreas histoire generale d'Espagne Tom. 1. p. 192.

fam: Inter quos BARONIVS <sup>(1)</sup> PAGIVS <sup>(2)</sup> & Celebr. WALCHIVS <sup>(3)</sup> longe eminent. In causis vero investigandis, quae Neronem ad vexandos Christianos adduxerunt, viri doctissimi in varias, easque valde discrepantes abeunt sententias. Sunt non nulli, qui cum TACITO contendunt, eos vexatos esse ob incendium Romae, iis imputatum, cum quo consentit temporum ratio: Sunt tamen etiam alii qui LACTANTII auctoritate freti, putent, Neronem Christianos ob Deorum neglectum suppliciiis affecisse. In qua sententia fuerunt PAGIVS, & TILLEMONTIVS, <sup>(4)</sup> cum quibus consentiunt, plerique Theologorum nostrorum. At cum ipsi profani auctores uno ore contendunt, Neronem fuisse impudentissimum Deorum omnium derisorem, <sup>(5)</sup> vix probabile est, cum religione commotum esse, Deorum neglectum vindicare. Interim non nego, cum fortasse hanc piam & speciosam rationem iactasse, ad defendendam crudelitatem, quae tanta sane fuit, ut ipsos gentiles saepe ad miserationem moveret, videntes Christianos non utilitate <sup>(6)</sup> publica, sed in unius saevitiam absumi. Sed vera ratio fuisse mihi videtur inhumana ejus crudelitas, qua etiam commotus est, optimos cives tam Romae quam in provinciis commorantes, quin etiam propinquitate conjunctos, omni calamitatum genere petere. Extra omnem tamen dubitationem positum est, praecipuam in persequendis Christianis rationem fuisse, incendium Romae illis imputatum. Quae sententia non solum auctoritate TACITI & SVLPITII confirmatur, sed ipsa quoque supplicia, quibus Christiani petiti sunt, & temporum consideratio eam magnopere suadent. Teste nimirum TACITO *multi eorum flamma deleti sunt, atque ubi dies defecisset, in usum nocturni luminis usi sunt*: quod iisdem fere etiam verbis

SVL-

(1) in Annal. ad A. 304. n. 8.

(2) in diss. de Inscript. Hisp.

(3) Suet. in Nerone cap. LVI.

(4) in Crit. Antibar. ad A. 64. p. 49.

(5) histoire Eccl. Tom. II. P. I. p. 134.

(6) Tacit. Annal. Lib. XV. c. 44.

SULPITIUS tradit, <sup>(1)</sup> multi crucibus affixi, aut flamma usti: plerique in id servati, ut cum defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Neque minus auctores omnes tam gentiles, quam Christiani in eo consentiunt, hujus persecutionis origines repetendas esse ab anno, quo Roma incendio deleta sit.

Jam restat, ut qualemcunque sententiam nostram, de hac a Nerone excitata persecutione addamus, quae a longo jam tempore non solum in numerum universalium relata est, sed inter eas etiam primum tenuit locum. At rationibus ab utraque parte rite perpensis, a me impetrare non possum, ut huic vetustate temporis receptae sententiae calculum addem meum. Est quidem in decennialibus decreta, seu potius incepta, quod primum universalis indicium est, illudque necessarium. Fuit praeterea admodum gravis. Nero enim, scelerum inventor, & malorum machinator, exquisitissima excogitavit suppliciorum genera, quibus fidei nostrae professores afficeret. <sup>(2)</sup> Nec parvus fuit martyrum numerus, qui suo sanguine divinitatem religionis nostrae laeti, saeviente Nerone, confirmarent. Nullo enim modo ex ignoratione nominum martyrum, quae est Celebr. DODWELLI sententia, <sup>(3)</sup> quaeque effecit, ut hanc vexationem e numero universalium eximeret, ad eorum paucitatem valet conclusio. In ea etiam martyrio affecti esse videntur, Paulus & Petrus, non quidem anno primo, sed sequente, quo pestis Romam est vastata, quaeque teste TACITO, A. C. LXV. grassata est. Neque durationis tempus tam breue est, ut eam ob causam inter universales non referenda sit haec persecutio. Duravit enim totum fere sexennium. Multo tamen graviore mihi esse videntur rationes, quae contrariam suadeant sententiam. Nullum enim edictum adduci potest, quod a Nerone ad vexandos Christianos sit latum. Nullus fide dignus laudari potest auctor, qui solummodo tradat, ullum unquam esse latum, aut in provincias missum. TERTULLIANVS, JUSTINVS MART. MELITO SARDIANVS, EVSEBIVS, alique historiae ecclesiasticae auctores antiqui, hanc non attingunt, si ab STROSIO, auctore non coaevo, & parvae aut nullius fere fidei, discesseris. Quid? quod etiam in iis locis tacent, ubi eos tacuisse minime credibile sit. Si praeterea causas hujus vexationis paulo accuratius investigemus, eas in odio Neronis, adversus genus humanum universum, & in crudelitate invenimus, quae etiam ad sanguine & propinquitate conjunctos ferebatur; nec non in scelere hujus incendiarii, ludibrio commisso, Christianisque imputato, quia futuram aliquando mundi conflagrationem profitebantur. Ex quo patet, Christianos sub Nerone, non ob fidei professionem, sed ob scelera, ob urbem incensam, peritos vexatosque esse. Si igitur incendium Romae vera vexationis Neronianae causa fuit, non nisi Romae viventes vexati sunt Christiani, sin autem, odium totius generis humani, seu tantum Romani, hanc excitavit persecutionem, quod Tacitus etiam urget, christiani quidem

(1) in Hist. S. Lib. (2) Ant. Gallonius de cruciatibus martyrum. (3) in Diss. Cypr. XI.

QX 71: 2 615

X 352 1926

VO 18

16 *Prolusio de Persecutione Neroniana.*

dem tam Romae, quam in provinciis habitantes afflicti sunt, sed non ut Christiani, quin potius, ut cives hujus tyranni. Sive hanc sive illam probes causam; LACTANTIUM enim ipsa interna Neronis indoles refutat; sive denique utramque jungas: vides persecutionem Neronianam, inuita historia, inter universales referri, quibus professores fidei nostrae, a gentilibus mirum in modum petiti vexatique fuerunt.

Sed nunc nobis deveniendum est, ad id cujus causa haec Prolusio suscepta est. Sunt nimirum duo praestantissimi juvenes, linguarum veterum & doctrinarum, quibus juvenes in scholis erudiendi sunt, cupidissimi studiosissimique adolescenter, qui nunc abitu e schola nostra parant. Hi duo optima spei juvenes, duce & auspice tam Celebr. BECKERI, Antecessoris mei in munere Doctissimi, qui nunc in Schola Portensi maxima cum laude docet, quam indefessa cura studioque, beate jam defuncti Collegae mei, Doctissimi GRAHLII, cujus obitus praeter omnem spem atque opinionem accidit, dum haec litteris typographicis imprimuntur, quique multis quidem bonis, ut cum Horatio dicam, flebilis occidit, nulli tamen flebilior quam mihi: quo enim celerior mors illius cari capitis evenit, eo acerbior mihi esse debet. Horum igitur Duumvirorum studio isti duo juvenes tantos in schola nostra fecerunt progressus, quos me Rectore, quamquam per breve tantum tempus, maxima tamen cura ampliores reddere allaborarunt, ut maxima cum laude fructuque stadium Academicum ingredi possent. Ne autem perversos istorum juvenum mores imitentur, qui, quamquam cumulatim & ornati omnibus beneficiis, tamen ita e schola discedunt, ut neque Patronos neque Magistros salutare dignentur, in animum sibi induxerunt, antequam e disciplina nostra discedant, & facultatis suae specimina qualiacunque edere, & Amplissimo hujus Urbis Ordini, caeterisque, quos Patronos venerantur, gratias agere. His duobus addidi tertium, abeuntibus fere parem, qui non solum ingenii sui periculum faciet, sed inprimis etiam valedicturis fausta quaeque accabitur. Nomina eorum sunt:

JOANNES ANDREAS COTTA, *Nendorpensis, ad Dresdam,*  
JOANNES GOTTHELF BRETSCHEIDERS, *Liebstadiensis Misnicus,*  
CHRISTIANVS GOTTLOB GROHMANNVS, *Weissigensis Misnicus.*

Dicent autem breviter, & pro ingenii sui modulo demonstrent usum atque praestantiam historiae Romanae tam in explicandis auctoribus classicis, quam in ad discendo pariter theologia quam jurisprudentia. Hujus suae pietatis gratique animi testes quam plurimos habere cupiunt. Itaque per me humillimis precibus rogant PATRONOS FAVTORESQUE scholae, ut adesse operamque sibi dicentibus dare velint. Ego autem pro me quoque sanctissime polliceor, quicunque his precibus permoti ad eos, quos primum in publicum duco, audiendos venerint, eos mihi beneficium tributos esse, quam maximum. Scripti in schola Novae

Vrbis ad Dresdam Ipsis Nonis Junii MDCCCLXII.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13



PROLYSIO  
DE  
TIONE NERONIANA  
AD AVDIENDAS  
VNCVLAS III  
IN  
LA NOVAE VRBIS  
AD DRESDAM  
VI. ID. IVN. HOR. II.  
HABENDAS  
OS ET FAVTORES  
MANISSIME INVITAT  
VS FRIDERICVS QVELLIVS  
RECTOR.

Hi  
2015



FRIDERICOSTADII  
OGRAPHEO HAGENMVLLERI.

